D. D. NICOLAI RODRIGVEZ

FERMOSINI,

QVONDAM COLLEGÆ

DIVI ÆMILIANI SALMANTICÆ,

PRO SACERDOTIBVS ET GRADVATIS; DEINDE CANONICI Doctoralis Eccleſiæ Aſturicenſ. nunc Canonici Pœnitentiarij Valliſoletanæ Eccleſiæ, & in eius Tribunali Sanctæ Inquiſitionis (functi Officio Patroni fiſci) Inquiſitoris creati itidem à Rege PHILIPPO IV. Iudicis bonorum confiſcatorum dictæ Inquiſitionis etiam intitulati,

TRACTATVS DVO

DE IVDICIIS, ET FORO COMPETENTI

Ad Lib. II. Decretalium GREGORII PONTIFICIS IX.

Sub quibus agitur de Iudicibus, ac Iudicum competentia, & de Perſonis ſpectantibus ad Iudicia tam Eccleſiaſtica quam Sæcularia, & de alijs practicabilibus dubijs.

Opus multiplici Indice exornatum, cui etiam poſt generalem Rerum & Verborum, adiecta eſt duplex Allegatio pro tuenda Iuriſdictione Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis, quam exercet in ſuos Miniſtros & Familiares.

NVNC PRIMVM PRODIIT.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

LVGDVNI,

Sumptibus PHIL. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CLAVD. RIGAVD.

M. DC. LVI.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

VENERANDO NVMINI.

HVMANO GENERI COELESTIVM IANVARVM RESERATRICI, Miſerorum tutiſſimo Refugio, Angelorum, ac omnium Hierarchiarum Imperatrici; Totius Sanctiſſimæ Triados Delubro; Deiparæ nempè, ac Immaculatæ VIRGINI MARIÆ, Sacrarij Valliſoletanæ huius Cathedralis Eccleſiæ Tutelari ac Iubari fulgentiſſimo, Suus obſequentiſſimus ſeruus Doctor D. Nicolaus Rodriguez Fermoſinus eius Eccleſiæ Pœnitentiarius Canonicus, & in Sancto Tribunali Inquiſitionis Valliſoletanæ Promotor Fiſcalis, deinde Inquiſitor ac Iudex fiſci D. C.

MVLTIPLICES animo voluebam anxius curas, (VIRGO VENERANDA) *incertáque mente fluitans errore vagabam, cui me deſtinarem aræ, cuiuſque nomini has primas meas iuris Pontificij lucubrationes ſubſcriberem. Tædium induxêre, ac nauſeam omnium interpretum propenſiones, immoderataq́; cupiditates inanes humanæ laudis vmbras tam ardenter ſitientes, Mæcenatúmque ſplendorem tam ambitioſè captantes. Eorundem me iamiam morem gerere cogebat, maiorum diſciplina, quæ hoc à priſcis temporibus comparatum videbam: Ni alta Parens ſuperûm, Exemplar Virginis vnum, Deipara Virgo MARIA, gaudia matris habens, cum Virginitatis honore, quæ nec primam viſa eſt ſimilem, nec habere ſequentem, tanquam ſol, ac inſigne iubar omnia terrarum opera coruſcis radiis perluſtrans in mentem veniſſet. Felix, heu nimium felix, iam flauit velis aura ſecunda meis, ſi memor tanti muneris, arctiſſimaq́; obligationis, quâ tanto numini adſtringor, pro parte correſpondere valerem.*

His vatem aggredior dictis, & talia quæſo;
Votorum ô Virgo ſpes non fruſtranda meorum,
Ille cliens ô Diua tuus, qui ſupplice voto
Te nocturnus adit, teque diurnus adit.

Cæleſtia, ac Virginea tua numina conclamat, ſparge precor donis pectora mea tuis: Virgineum tuum robur ſemper anhelo, hunc amor ingerit oſſibus ignem, huc vnum tibi cor, tibi mens huc tendit vnum, tua virginea flagrare face: ô & Præſidium, & dulce decus meum,

D. D.
NICOLAI RODRIGVES FERMOSINI, HISPANI,
IN TRIBVNALI VALLISOLETANO Sanctæ Fidei Inquiſitoris,
AD TITVLVM *DE* IVDICIIS.

AD RVBRICAM.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium quid ſit.*
2 *Explicantur diffinitionis partes.*
3 *Perſona de neceſſitate iudicij, quæ? Et ibi traditur quod teſtes non ſunt præcisè neceſſarij.*
4 *Procuratores non ſunt de neceſſitate iudicij.*
5 *Aduocati non ſunt de ſubſtantia iudicij.*
6 *Tabelliones non ſunt de neceſſitate iudicij.*
7 *Iudex eſt de neceſſitate iudicij: & à quo denominatur.*
8 *Actor eſt perſona neceſſaria ad iudicium: & à quo denominatur.*
9 *Reus eſt neceſſarius in iudicio: & vnde dicatur.*
10 *Requiſitio ab actore facienda, qualis.*
11 *Actore non probante Reus abſoluitur.*
12 *Actor & Reus qualiter antiquitus veniendo ad iudicium procederent: & quid hodie? & numero 13.*
14 *Iudicij diuiſio: & num. 15.*
16 *Diuiditur iudicium in Ciuile, Criminale, & mixtum.*
17 *Iudicium mixtum quid.*
18 *Iudicij impugnatur diuiſio.*
19 *Authentic.* hodie. *C. de Epiſcopis & Clericis, cum aliis.*
20 *Lex* Gallus, *ff. ad Syllanianum.*
21 Cap. per tuas, *de Simonia.*
22 Cap. tuæ, *de procuratoribus: vbi de dictione* Quaſi.
23 *De legitimatione perſonæ ad iudicium; & de aliis requiſitis: vbi etiam de mandato procuratorio quod præcisè requiratur ad validitatem proceſſus: & num. 24.*
24 *Principalis perſona legitimatio, ſi agat nomine proprio, poteſt fieri vſque ad ſententiæ prolationem.*
25 *Preparatoria, & preparata quæ ſint.*

TVTIVS diffinitur Iudicium dicendo, quod eſt, *legitima litigatorum diſceptatio apud Iudicem*, vt docet benè Duarenus *hic*; præter ea quæ dicit Parladorius *rerum quotid. differentia* 136. *num.*1. & Medices *lib.*2. *cap* 18. Licèt alij dicant, Iudicium eſſe actum trium perſonarum, actoris, & rei, apud Iudicem contendentium: quam definitionem ſatis impugnat Decius *in præſenti num.* 1. Alciatus *lib.*6. *paradoxorum, cap.*9. de ea Scaccia *de Iudiciis, lib.*1. *q.*2. & iure Regio probatur *lib.*10. *tom.*4. *part.*3. 1